

SI CONTRA IUS UTILITATEMVE PUBLICAM
VEL PER MENDACIUM FUERIT ALIQUID POSTULATUM VEL IMPETRATUM.

1.22.1

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Gregorio.

Non idcirco minus is, cui a nostro rescripto cognitio delata est, iudicare potest, quod ex gestis quaedam in precibus ommissa proponis.

D. V non. Mai. Diocletiano V et Maximiano IIII AA. consss. [a. 293]

1.22.2

Idem AA. et Constantius et Maximianus CC. Statiae.

Praescriptione mendaciorum opposita, sive in iuris narratione mendacium reperiatur sive in facti sive in tacendi fraude, pro tenore veritatis, non deprecantis adfirmatione, datum iudicem cognoscere debere et secundum hoc de causa convenit ferre sententiam.

D. k. Dec. Sirmi CC. consss. [a. 294]

1.22.3

Imp. Constantinus A. ad Bassum.

Puniri iubemus decem librarum auri multa iudices, qui vetuerunt precum argui falsitatem.

D. k. Oct. Constantino A. III et Licinio C. III consss. [a. 313]

1.22.4

Idem A. ad Barbarum Pompeianum consularem Campaniae.

Etsi non cognitio, sed exsecutio mandatur, de veritate precum inquire oportet, ut, si fraus intervenit, de omni negotio cognoscatur.

D. III id. Nov. Aquis Dalmatio et Zenophilo consss. [a. 333]

1.22.5

Impp. Theodosius et Valentinianus AA. ad senatum.

Etsi legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis et, si nimia mentientis invenitur improbitas, etiam severitati subiaceat iudicantis.

D. VIII id. Nov. Ravennae Theodosio XII et Valentiniano II AA. consss. [a. 426]